

(1251) 1252, març, 11

Bernat de Palol i Pau de Palol, que han venut a l'abadessa Berenguera de Sant Daniel una coromina situada a Vilamalla, renunciem a tots els drets dimanants del fet que la seva mare l'havia obligada al seu pare, Arnau de Palol.

ASD núm. 157, perg. orig., 420 x 240 mm, que conté també l'escriptura següent.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus de Palaciolo et ego Paulus de Palaciolo frater eius, filii Arnalli de Palaciolo, per nos et omnes nostros, nostra proprio motu et s.ine praua suggestione alicuius uel dolo, cedimus per donationem irreuocabilem inter uiuos damus uobis domine Berengarie, Dei gratia abbatisse Sancti Danielis et successoribus uestris perpetuo totum ius nostrum et locum in omnibus accionibus, excepcionibus, petitionibus, questionibus et demandis quas habemus uel facere, habere, intemptare, suscitare possumus uel in futurum possemus contra predictum Arnallum de Palaciolo patrem nostrum, racione uel occasione illius condamine de Uilamayla quam uobis uendidimus, ut in carta uendicionis inde confecta continetur, que perpetim erat obligata a matre nostra tempore nupciarum pro mille solidis, et racione fructuum, quos inde habuit et percepit, uel alio aliquo modo, iure uel racione, racionibus antedictis, cedentes et dantes uobis et successoribus uestris totum ius nostrum et locum et uoces et raciones et omnes acciones nostras. reales et personales, utiles et directas, generales et speciales, ordinarias et extraordinarias ac etiam mixtas quas contra predictum Arnallum de Palaciolo patrem nostrum facere, mouere <et> intemptare possumus uel possemus racione uel occasione predictorum mille solidorum pro quibus dicta condamina erat sibi obligata a matre nostra et racione fructuum quos inde habuit et percepit quin ea computentur insolutum iamdictorum mille solidorum uel alio aliquo modo uel iure, racionibus supradctis ad uestram uoluntatem et successorum uestrorum perpetuo faciendam, instituentes inde nos procuratores in rem uestram sine amni retentu et aliqua reuocatione. Et quicquid super predictis feceritis in agenda, deffendendo, excipiendo replicando, postulando respondendo, suscipiendo uel alio modo, bonum, ratum atque firmum habebimus et nullo tempore reuocabimus iure aliquo seu causa. Quod si aliquo iure scripto uel non scripto siue excepcione uel occasione aliqua in futurum huic contractui obuiam ire possemus, illi penitus renunciamus.

Actum est hac .V. idus marcii armo Domini .MCCL. prima.

Sig+num Pauli predicti, qui hoc firmo et lauda. Sig+num Bemardi de Palaciolo*. Sig+num Raimon de Candela, capelanus, testis*. Sig+num Petri Ferrarii de Cartiliano, testis.

Sig(s. man.)num Iohannis de Porchariis, qui hoc scripsit mandato Bemardi de Uicco, Gerunde notarii. Bemardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 320-321